

tum intimatum Adæ soli, quando in paradysum ductus est, et postea formata Eva, dixit Deus omnia illa verba ad utrumque, quod crescerent et multiplicarentur, et quod omnem herbam et fructum haberent in cibum, et tunc Adam potuit præceptum ipsum, et exceptionem ligni vetiti intimare Evæ, quia sibi dictum fuerat.

AN PECCAVERIT ADAM EODEM SEXTO DIE, QUO FORMATUS EST?

XXXVII. Multum hæc opinio invaluit apud plurimos, quod Adam eodem die, quo creatus est, peccavit, et ejectus est de paradiso. Eamque aliqui antiquorum patrum significant, ut Irenæus, lib. v, cap. xxiii; Anastasius Sinaita, lib. vii anagogic. Genesis iii, q. xiv, et alii. Et absolute loquendo juxta superius dicta potest defendi, disponendo sic omnia, quæ in illo sexto die facta a Scriptura narrantur, ut dicamus circa ortum solis vel auroram, id est, circa horam sextam matutinam (quia dies illi erant fere æquinoctiales et æquinoctio juncti quod fuit prima die) formaverit Deus omnia animalia, vel in instanti, vel brevissimo tempore (licet enim quintum diem integrum consumpserit in solis piscibus, et volucris formandis, tamen quia sexto die plurima faciendæ erant, et non omnia solo Dei imperio, sed ipso etiam homine operante modo humano et sensibili, ideo oportuit abbreviare ea quæ a solo Deo fiebant, ut erat formatio animalium et hominis) deinde formavit etiam hominem vel alio instanti vel in brevissimo tempore illumque transtulit in paradysum, et ei ostendit signum scientiæ boni et mali super quo præceptum illi imposuit, permissio usu omnium aliorum, quod

totum potuit esse expeditum ante horam septimam matutinam. Deinde, cum Deus diceret non esse bonum hominem esse solum, adduci fecit ministerio Angelorum, aut alio modo sibi placito omnia animalia, et aves ad Adam, eisque nomina imposuit, in quo ministerio, et actione potuerunt consumi quinque horæ plus vel minus usque ad meridiem. Tunc immisit soporem in Adam in quo somno potuit consumere unam vel alteram horam, et expergefactus locutus est ad Evam, eamque accepit in conjugem et Deus dedit benedictionem ad crescendum, et multiplicandum eisque assignavit in escam omnem herbam et fructum, et Adam intimavit præceptum divinum de ligno vetito Evæ. Jam ab hora secunda vel circiter, usque ad horam quartam habuit Eva sufficiens tempus deambulandi sine Adam usque ad arborem ligni vetiti, ibique colloquendi cum serpente, et sumendi de fructu illius atque afferendi ad virum suum, qui statim cognoscentes suam nuditatem, et erubescens, fecerunt sibi perizomata et se absconderunt. Ab hora autem quarta vel paulo post usque ad sextam in qua tunc erat occasus solis, etiam sufficiens tempus fuit, ut diceretur Deus venisse ad auram post meridiem, id est, transacto fervore caloris, ut Hieronymus dicit in quæstionibus Hæbraicis super Genesim, et ut utrumque argueret, atque sententiam ferret, eosque de paradiso ejiceret, quia in tali judicio et sententia non multum temporis videtur fuisse consumptum. Et sic sententia ista absolute loquendo videtur posse defendi, et pro omnibus his quæ Scriptura docet facta illo die, expeditionem invenire ita quod non possit convinci.

XXXVIII. Cæterum, si rem istam non ita mathematicè, et quasi ad clepsydram per singulas horas di-

vidamus cum tanta præcisione, non videtur verisimile totum hoc negotium sic celeriter fuisse transactum, et probabilius videtur non peccasse primos parentes eodem sexto die, quo creati sunt. Nam in primis totum illud quid assumitur de horis matutinis est valde incertum, et gratis acceptum. Quod si a simili debet sumi argumentum, non est ratio cur in aliis rebus formandis Deus usus fuerit tempore, et die integro, et in formandis animalibus solum instantaneis actionibus fuerit usus. Quod si pro homine vel Eva formanda voluit uti instantanea actione, id est, peculiari aliqua ratione processit, propter singularem hominis excellentiam, sicut enim Angelos instantanea actione creavit et perfecit, et sicut corpus Christi in instanti a Spiritu Sancto organizatum est, ita decuit primos homines instantanea actione formare ex illa materia. Cæterum imperfecta et magis grossiora opera sicut animalia terrestria non videtur aliqua fuisse ratio, cur eorum productio instantanea fuerit, nec quod in hac parte extraherentur a communi modo formandi res alias imperfectas, ut pisces, aves, plantas, etc. in quibus formandis etiam dies integri consumebantur. Quod si tempus aliquod successivum in formandis animalibus transactum est, ita quod aliquot horæ diei sextæ pro eorum formatione assignandæ sint, fuit totum fundamentum sententiæ oppositæ, nec possumus omnia, quæ facta sunt ante peccatum Adæ componere, et assignare ita, quod ad auram post meridiem fuerint a Deo judicati et expulsi. Præterea ut salvet hæc sententia peccasse hoc die primos parentes, oportet ita omnes illas actiones accelerare, ut vix spiraculum relinquatur. Quis enim sibi persuadeat, quod quando Deus transtulit Adam in paradysum ita præcise, et

sicce cum eo egerit, ut solum brevissimo tempore præceptum imposuit, et statim inciperet adducere animalia, non autem aliquod tempus dederit, ut posset partem aliquam paradysi videre non currendo sed paulatim, et lente videndo, quousque perveniret ad locum ubi erat lignum scientiæ boni et mali, ibique præceptum de non comedendo illius fructu imposuerit, serioque monuerit de illius observatione fideliter custodienda? Similiterque non esse sibi bonum esse solum, et sine sociâ ad generationem non unico tantum, eoque brevissimo verbo tractaverit, sed pluribus quibus id ei persuasit, et ita convenire ostendit, et in majorem evidentiam voluit ut omnia animalia videret, et cognosceret, quod ipse solus erat sine adjutorio ad generationem necessario, ut inde moveretur etiam Adam ad desiderandum, imo ad petendum a Deo ut sibi talem sociam daret? Jam vero post adductam Evam ad Adam, quis credat tam brevissimo tempore illam fuisse allocutam ut vix in præsentia ejus detineret, ut statim illum relinqueret, et curreret cum magna festinatione ad medium paradysi ad arborem scientiæ boni et mali, nisi enim multum festinaret Eva, non esset tempus ut cum serpente colloqueretur, et comederet, ferretque ad virum suum, et comederet, et se absconderent, et facerent perizomata ante auram post meridiem? Imo si vix Eva cum viro suo collocuta erat nec nimium ejus amorem erga se fuerat experta, quod solum per plures et diversas actiones probari poterat, quomodo præsumeret statim illi ferre cibum vetitum, et persuadere ut illum comederet? Itaque verum est quod physice, et absolute illa sententia salvat tempus pro istis actionibus, sed cum tanta acceleratione, et fatigatione, ut omnem curialem, et humanum

modum de medio tollat, ut homines eo die peccantes faciat.

XXXIX. Denique, in ipsis verbis textus duo ponderanda sunt, quæ videntur persuadere non eodem sexto die peccasse. Alterum est quod dicitur capite primo quod antequam clauderetur dies sextus vidit Deus cuncta, quæ fecerat et erant valde bona, et statim jungit: *Et factum est vespere et mane dies sextus.* Quomodo in ipsa terminatione diei sexti erant cuncta valde bona, si in eodem temporis articulo consummabant tam grande malum ipsi primi parentes, qui inter res visibiles erat præcipuum opus manuum Dei? Alterum est quia capite tertio serpenti inquirenti, cur non comederent de omni ligno paradisi, respondit mulier: *Ex omni ligno paradisi vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, etc.* ubi illud verbum vescimur, non solum significat jus et potestatem vescendi, sed etiam usum et consuetudinem, seu actum ipsum comedendi prout facere solebant. Unde Augustinus dicit xi de Genesi ad litteram cap. xxxi: « Quod mulier innoxium putavit fructum illius arboris vetitæ, quia tale existimavit pomum in illa arbore, cujus generis poma in aliis arboribus innoxia senserant; quod esse non poterat, nisi de aliis gustassent, idque non una, aut altera vice, sed sæpius. Certe si nihil senserunt nec experientiam habuerunt primi parentes deliciarum paradisi, sed immediate cucurrerunt ad arborem vetitam, ut eodem die ejicerentur, vix possent perpendere tantam infelicitatem, si felicitate illius experientiam haberent. Denique, quando Deus posuit custodiam Cherubim et flammæ gladium ad custodiendam viam ligni vitæ dixit: *Ne forte mittat manum suam et comedat de ligno vitæ et vivat in æternum,* ergo suppo-

nebat, quod ipsi primi parentes bene sciebant semitas paradisi, et ubi possent invenire lignum vitæ, ergo perambulaverant paradysum et illo fructu fuerant, atque experientiam habebant; quod tam brevi tempore sicut est unius, aut duarum horarum fieri non poterat.

XL. Quanto autem tempore vixerint in paradiso, si sexto die ejecti non sunt? Nihil certi affirmari potest, sed totum est divinare, licet diversi conati sint diversos dies, aut plures etiam menses assignare. Sed cum nullum solidum fundamentum in hoc magis quam in illo inveniamus, otiosum videtur de hoc disputare. Sane non diu permansisse suadet, tum dæmonis invidia, quia festinabat hominem perdere, non tamen eadem hora vel die, quia nondum assueverat Adam amori, et blanditiis mulieris, sine quibus non poterat diabolus præsumere tanto viro et tantis Dei donis abundanti persuadere se posse tale nefas, nisi delinitus uxoris blanditiis, illud inconveniens et peccatum devoraret. Ad hoc autem ut homo ita esset deditus uxori, aliquod tempus communicationis et convictus requirebatur, non unius aut duarum horarum spatium sufficiebat. Tum etiam quia illo amore crescente, etsi sine motibus libidinis, non diu mansissent sine opere generationis, cum tamen communis sententia sit virgines de paradiso exiisse. Quod autem aliqui sancti patres etiam affirmant jejunos fuisse usquequo comederunt de ligno vetito, non intelligitur de jejunio naturali, dixit enim mulier: *Ex omni ligno vescimur,* sed de jejunio temperantiæ in abstinendo a fructu vetito, et non laxando in hoc fræna gulæ. Cætera argumenta contra nostram sententiam non magni ponderis sunt.

QUÆSTIO LXXIII.

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SEPTIMUM DIEM.

TEXTUS.

Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab universo opere quod patrarat, benedixitque Deus diei septimo et sanctificavit illum.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

Tres actiones assignat Scriptura Deo in hac septima die, quas sigillatim considerat S. Thomas. Prima est, complere opus suum quod fecerat. Secunda, requiescere ab universo opere a se facto. Tertia, benedicere diei septimo et sanctificare illum.

Quod attinet ad primam actionem complendi opus suum, est advertendum, quod dupliciter potest intelligi quod aliquid compleatur. Uno modo faciendo in aliqua re aliquid quod adhuc illi deest, et sic indiget compleri, id est, integrari atque ita tunc idem est complere atque integrare et perficere, seu ultimam manum admovere. Alia modo dicitur aliquid compleri per negationem operis, scilicet quia jam res aliqua non indiget aliquo quod sibi addatur, et sic per ipsam cessationem et negationem addendi dicitur compleri, sicut quies dicitur complere motum, quia non restat ulterius ad quid moveatur, sed cessat acquirere. Et similiter potest aliquid compleri vel intrinsece in se, vel extrinsece in suis effectibus, aut operationibus. Hoc ergo universum dicitur compleri die septima negative et extrinsece, die autem sexto intrinsece. Nam in die sexta ultima manus est admota no-

vis operibus faciendis, ita quod ultimæ species factæ sunt. Et sic quasi duravit motus, seu acquisitio novarum specierum tota illa die. In die autem septimo nulla species facta est de novo (etsi aliqui putent hac die Evam creatam, licet etiam hoc dato, illa non esset totaliter nova species) qui nulla legitur facta hac die. Et sic septima die fuit complementum extrinsecum hujus motus, et acquisitionis per quietem, et cessationem ab operibus, non per additionem alicujus quod deesset ad integritatem totius. Similiter sexta die completum est universum intrinsece quoad suam integritatem, et compositionem eorum ex quibus perfecte constat, die autem septima completum est in extrinsecis, scilicet in affectibus, et operationibus, quia deinceps incœpit propagatio, et multiplicatio, et administratio totius creaturæ, et universi quod fecerat, et fixum atque immobilem statum mundus accepit quantum ad ipsum ordinem effectuum faciendorum.

II. Circa secundum quod est quies Dei cum dicitur, quod requievit ab universo opere quod patrarat, consideranda est, quod quies vel opponitur motui, seu acquisitioni termini, vel opponitur labori et defatigationi, quæ in nobis ex motu sequitur. Ut quies opponatur labori, oportet habere aliquid in quo gaudeat, et quiescat, et sic dicitur quies esse in aliquo. Ut autem opponatur motui, sufficit quod pervenerit ad terminum, et cesset ab ulteriori acquisitione, et sic non dicitur quiescere in motu, sed quiescere a motu, quiescet vero in termino, quia in eo sistit, et sic Deus in termino isto quievit, quia fixum, et immobilem ordinem consummavit deinceps servandum in hoc universo. Deus ergo non dicitur quiescere in suis operibus, seu creaturis primo modo, quia Deus non habuit laborem, vel defa-